



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 1. Vtrum recedente fictione baptismus totum effectum conferat,
que[m] contulisset si fictio non interceßisset.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

quia bona fides nunquam supplet defectum mediij necessarij, qualecumque illud medium sit, siue sit dispositio, siue materia, siue forma Sacramenti, siue intentio Ministrj.

N6 requiritur ut pures te esse contritam.

Quarta pars, Quod Attritio non debeat existimari Contritio, est contra Nauarrum cap. 1. Enchiridij num. 37. Sed probatur: Quia hoc solum habet locum, quando Contritio est necessaria ex aliquo diuino præcepto positiuo vel naturali: tunc enim illa existimatio facit, vt homo non peccet in vsu Sacramenti; alioqui per se illa existimatio nihil iuuat, cum sit falsa. Atqui nullum est præceptum diuinum, quo Contritio sit necessaria ad baptismum. Non positiuum; quia id nec Scripturis, nec Traditione continetur: Nec etiam naturale præceptum, quatenus videlicet ratio fide illustrata dicitur Sacramenta reuerenter esse tractanda: nam vnumquodque Sacramentum pro modo sue institutionis tractandum est. Atqui ex fine institutionis huius Sacramenti satis constat, hoc reuerenter tractari, si vitam veterem detesteris, & nouam proponas: vnde nihil opus est, vt existimes te esse verè contritum.

14. Attritio etiam sufficit ad remissionem omnium venialium quo ad culpam & poenam.

Dico Quarto, Attritio, quæ est sufficiens ad infusionem gratiæ per baptismum, etiã sufficit ad remissionem omnium venialium peccatorum quoad culpam & poenam, modo nullius peccati venialis affectus actualis interueniat. Est certa hæc propositio; quia ad totum effectum baptismi Doctores non requirunt, nisi Attritionem. Et Patres suprâ citati generatim docent omnem culpam & poenâ remitti, quando non ponitur aliunde impedimentum. Et Confirmatur; Quia si baptismus tunc efficax est ad delenda omnia mortifera, quamuis infinita, quoad culpam & poenam vniuersam; cur non etiam omnia venialia?

ARTICVLVS X.

Virum fictione recedente Baptismus consequatur suum effectum?

15. Similitudo D. Thomæ

Respondet D. Thomas Affirmatiuè. Et probat pulcherrima hac similitudine: Sicut simul cum corpore graue generatur, mouetur deorsum, nisi sit aliquid prohibens: quo remoto statim incipit moueri deorsum: ita quando quis baptizatur, accipit Characterem quasi formam, & consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata: impeditur autem quandoque per fictionem. Vnde oportet, quod remota eâ per poenitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum.

Glossa.

Notandum est, Glossam in Capit. Tunc valere. de Consecrat. dist. 4. existimare virtute solius Poenitentiae, gratiam & remissionem dari fictione recedente, & iuxta hanc sententiam dicendum esset, peccatum originale, & reliqua quæ baptismum antecedunt, remitti per poenitentiam, non quidem directè, sed concomitanter, quatenus per Sacramentum Poenitentiae datur gratia, cum qua nullum peccatum mortiferum potest consistere.

Conclusio affirmans.

Verum tenendū est, Recedente fictione, siue id fiat per contritionem; siue per attritionem vnâ cum Sacramento Poenitentiae, redire omnem effectum baptismi, quem initio contulisset. Ita D. Thom. loco citato, & communis sententia Doctorum dist. 4.

Probatur Primò, Ex Scripturis: Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. Atqui si baptismi gratia non redit ablata fictione, ille non renascitur ex aqua & Spiritu sancto: ergo non posset saluari. Dices, Sufficit votum baptismi, vt renascatur. Contra: Quia votum non habet locum, postquam re ipsa baptismus datus est; votum enim respicit baptismum futurum. At baptismus semel receptus non potest repeti.

Probatur Secundo, Ex Patribus: D. August. lib. 1. de Baptismo c. 2. Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia, vel sacrilegio perseverante, peccatorum abluentionem non sinebat fieri. Quod si gratia & remissio non conferretur vi baptismi, falsum esset tunc baptismum incipere valere ad salutem: sola enim poenitentia valeret. Neque rectè ostenderet August. baptismum à fictio susceptum non esse irritum, quod tamen ibi intendit. Cyprianus serm. de Passione Christi, Licet indigni sint qui accipiunt, Sacramentorum tamen reuerentia, & propinquitatē ad Deum parat accessum, & vbi redierint ad cor, constat abluentionis donum, & redit effectus munerum; nec alias queri aut repeti necesse est salutiferum sacramentum. Idem Cyprianus serm. de Ablutione pedum, enumeratis tribus Sacramentis quæ repeti non possunt, ait; Reuersis dat, vt eis iterum possint Sacramenta iniuriata prodesse; quorum si poenitentia non subesset, nullo modo deinceps experiri possent effectum. Hic aperte docet trium Sacramentorum amissam gratiam redire.

Probatur Tertio, Ratione. Prima est, Quia proprium remedium peccati originalis est baptismus: ergo recedente fictione baptismus vim suam exerit, vel certè peccatū originis non remittitur. Consequentia patet. Antecedens probatur, tum ex illo Ioan. 3. Nisi quis renatus &c. Tum ex Concilio Tridentino sess. 6. c. 4. vbi Concilium ait, Translationem ex statu peccati originis ad statum gratiæ, non posse fieri sine lauacro generationis, aut eius voto: sed votum hic locum non habet, quia respicit futurum: ergo remissio peccati originalis fit per Baptismum re ipsa ante susceptum. Secunda ratio est, Peccata ante Baptismum commissa non possunt remitti per claus Ecclesiæ, quia non sunt commissa à subdito Ecclesiæ: ergo solum per baptismum. Confirmatur, Quia alioquin essent aliqua peccata in homine viatore nullo remedio à Christo instituto expiabilia: quod est contra efficaciam Passionis Christi.

DVBIVM I.

Virum recedente fictione Baptismus totum effectum conferat, quem contulisset, si fictio non intercessisset?

Respondet & Dico Primò, Conferat totum effectum extensiuè, scilicet gratiam sanctificantem, remissionem peccati originalis, & omnium peccatorum mortalium, & venialium ante baptismum commissorum, & omnem poenam his respondentem. Ratio est, Quia gratia confertur in baptismo per modum regenerationis spiritualis, ac proinde perfectò modo, ita vt peccatum, & quidquid directè ex peccato sequitur, penitus excludatur: sicut forma, qua per generationem confertur, excludit totam priuationem oppositam, & omnia illi annexa & consequentia.

Dices,

Veniale
cui actu
afficitur,
non remit-
titur.

Dices, Quid si eo momento, quo tollitur fictio, seu impedimentum baptismi, adsit affectus peccati venialis. Respondeo: Hoc peccatum veniale tunc non remittetur: tum quia repugnat, ut ali- quod peccatum actu sit, & tamen simul condone- tur, praesertim quoad culpam: tum quia affectus iste sequitur baptismum realem, unde per bap- tismum remitti nequit, sicut nec vllum aliud pec- catum quod baptismum sequitur. Alia tamen pec- cata venialia ante baptismum commissa remit- tentur, etiam si tunc eiusdem speciei affectus ve- nialis insit. Ratio est, Quia peccata venialia pos- sunt separatim remitti secundum poenam & culpam.

18
In reuivif-
centia solu
conferetur
minima
gratia, quae
datur in-
fantibus.

Dico Secundò, Probabilius est, non conferri recedente fictione totam perfectionem gratiae in- tensivam, quae antea fuisset collata cum debita dispositione, sed solum minimam gratiam, quae datur infantibus. Quod ut intelligatur:

Suppono Primò, Esse aliquam minimam gra- tiam baptismalem, quae sit v. g. ut duo, quae ipsi Sacramento precise considerato, respectu subiecti nullam dispositionem habentis, appensa est. Ra- tio supposita est, quia ubi nulla est dispositio, non potest aliquid relinquere, quo detracto effectus pos- sit fieri minor.

Suppono Secundò, Hanc gratiam minimam baptismalem dari infantibus, quia nullam dispo- sitionem bonam adferunt, sed solum carent im- pedimento: quod fit, ut omnes adulti, qui aliquam bonam dispositionem quantumvis parvam adfe- runt, plus accipiant, quam infantes; ut commu- niter Doctores docent, & colligitur ex dictis su- pra artic. 8. & ex Tridentino Concilio sess. 6. cap. 7.

Nunc probatur Conclusio: Quia contritio illa, qua tollitur fictio, non habet se tanquam dispo- sitio ad baptismum, sed solum tanquam remouens impedimentum operationis illius: ergo illa ani- ma se habet ad baptismum, veluti carens impedi- mento, sine omni dispositione positiva.

Dices, Illa contritio potest esse dispositio ad ef- fectum baptismi nunc conferendum, licet non sit dispositio ad ipsum Sacramentum; & sic effectus baptismi crescat pro ratione dispositionis contritionis. Sed hoc non rectè dicitur: Quia baptismus iam antè collatus est, & effectus similiter quan- tum est ex vi baptismi. Verum quia subiectum capax tunc non erat, mansit in acceptatione diuina, donec tolleretur impedimentum. Ergo effectus baptismi non est metiendus ex contritione, quae postea superuenit, sed ex conditione baptismi, quam secundum se habuit dum daretur: Deus enim acceptat baptismum secundum conditionem quam habet dum reipsa datur, non autem secun- dum conditionem quam subiectum aliquando ha- bebant: sic enim in consilio acceptaret ad incertum effectum. Confirmatur à simili: Quia opera bona iustorum solum acceptantur à Deo secundum con- ditionem, quam habent, dum fiunt: unde si con- tingat ea per peccatum mortificari, & postea per poenitentiam reuiuiscere, non reuiuiscunt secun- dum conditionem poenitentiae, qua tollitur eor- um impedimentum, sed secundum conditionem in qua sunt acceptata: ut amplius dicitur suo loco.

Contritio
per quam
baptismus
reuiuiscit,
non auget
eius effe-
ctum.

DVBIVM II.

Quis actus necessarius est ad tollendam fictionem, (id est, indispositionem negativam vel con- trariam) ut baptismus effectum suum habeat?

Respondeo & Dico Primò, Si in ipsa susce- ptione Baptismi commissum sit peccatum mortale, vel post eam, necessaria est contritio, vel attritio cum Sacramento Poenitentiae, ut bap- tismi impedimentum seu fictio tollatur. Patet hoc ex D. Thoma hoc loco ad 2. & ex D. Augustino lib. 1. de Baptismo cap. 12. Ratio est, Quia bap- tismus non potest cõterre suum effectum, quam- diu inest aliqua culpa mortifera, quae per ipsum baptismum non potest tolli: sed peccatum mor- tale commissum in susceptione baptismi, vel postea, non potest tolli per baptismum: ergo non potest baptismus conferre suum effectum, nisi aliud remedium adhibeatur, quo hoc peccatum tollat- tur; quod remedium non est aliud, quam contri- tio, vel attritio cum Sacramento; uti nunc sup- pono.

19
Si mortale
commissum
in ipsa
susceptione
baptismi,
vel post eam,
est opus con-
tritione vel
attritione
cũ Sacram.

Dices Primò, Cur baptismus non potest indi- rectè, vel cõcomitanter delere peccata post ipsum commissã, sicut Sacramentum Poenitentiae delet peccata oblita concomitanter, & similiter Eucha- ristia, quae tamen non poterat delere directè?

Respondeo, Quia nullum Sacramentum potest delere peccata futura, sed solum ea, quae ante eius susceptionem commissã sunt: unde pro illis, quae postea sunt commissã, opus est remedio nouo, quod per se sit sufficiens. Quare hic opus est con- tritione, vel saltem attritione cum Sacramento Poenitentiae; nam solum hisce duobus modis, pec- catum mortale cognitum commissum post bap- tismum, potest deleri. Dico, Cognitum: quia si exci- derit memoriã, & bona fide cum attritione aliud Sacramentum suscipiatur, delebitur illud pec- catum, & baptismus effectum suum conferet.

Dices Secundò, Saltem illud peccatum, quod in ipsa susceptione com mittitur, poterit, receden- te fictione, baptismò deleri; quia non est poste- rius baptismò.

Respondeo, Etsi tempore non sit baptismò pos- terius hoc peccatum, est posterius ordine naturae: Tum, quia resultat ex ipsa susceptione baptismi in subiecto indisposito: subiectum autem indispo- situm suscipere baptismi substantiam est posterius naturã, quam ipsa baptismi substantia: Tum, quia intelligitur resultare in homine habente Charac- terem baptismalem: nam baptismus prius naturã respicit subiectum ut dispositum ad Characterem, quam dispositum ad gratiam: praesertim cum & ipse Character sit veluti potentia passiva ad gra- tiam baptismalem, & ceterorum Sacramentorũ: ergo baptismus prius naturã confert Characterem, quam gratiam; & proinde prius naturã in subie- cto intelligitur esse Character, quam gratiae in- fusio impediri. Adde: Etiam si hoc peccatum sa- crilegè susceptionis solum concipiatur ut conco- mitans baptismum, tamen non potest per bap- tismum remitti; quia ex natura sua directè repugnat effectui baptismi. Unde hoc peccatum non potest remitti, nisi per Sacramentum Poenitentiae in re vel in voto.

Cur peccatum sacri-
lega susce-
ptionis non
possit per
baptismum
deleri.

Petes, Cùm tollitur fictio per Sacramentum Poenitentiae, vtrum Sacramentum prius confert gratiam, Poenitentia an Baptismus?

Respon-

20